



Iohannes Franckofordij natus est anno circiter
 1512. Is post artium & linguarum fundamenta felici-
 ter iacta sese hinc inde ad celebriores academias
 contulit, & in primis Friburgi Brisgauriæ Juris stu-
 dio diligenter incubuit. In eo etiam adeò profecit,
 ut 1531 cum Iohanne Sichardo uiro doctissimo Le-
 gum Doctor omnium assensu crearetur. Accede-
 bat & uitæ innocentia, & naturalis faciendia. Id cum
 Franckofurtensis respublica intellexisset, eum ali-
 quandiu in Spirensi camera exercitatum ad se uo-
 cauit, atq; suum syndicum cõstituit 1533. Ibi cum per
 triennium ferè mansisset, Simonis Grynæi præce-
 ptoris consilium secutus officium reliquit, & 1536

Cæsaris aulam & ipsam Italiam inuisit. Post etiam Patauij ad tempus hæsit, &
 tandem multa eruditione ornatus anno 1538 in patriam redijt, & priorem fun-
 ctionem duplicato tamen salario recepit, atq; ob rerum usum cunctis gratissi-
 mus fuit. Huic Juris studio ipse Historiarum lectionem coniunxit, & earum
 sibi magnum usum comparauit. Vnde ipse Perioche uitarum recentiorum
 Iureconsultorum ab Irnerio ad Huldricum Zasium usq; conscripsit. Aliquos
 etiam Galeni libros ex Græco in Latinum sermonem traduxit, atq; multa a-
 lia præstitit, quibus suam eruditionem omnibus doctis patefecit. Is etiamnum
 Franckofurti in patria superesset, ac multis corporis & animi uirtutibus con-
 spicuus ibidem agnoscitur. Gest. Anon.